


2 DISSE^TRATI^O
INAUGURALIS MEDICA
DE
ENCEPHALITIDE
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

DOCTORIS MEDICINAE
LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ALMA AC CELLEBERIMA REGIA
SCIENTIARUM
UNIVERSITATE HUNGARICA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
ALEXANDER WEISZ
VESZPRIMIENSIS.

In Theses adnexas publice disputabitur in Palatio Universitatis
Maiori die Mensis 1832.

PESTINI,
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

Es giebt keinen ungerechteren Maßstab die Verdienste eines Menschen zu messen, als wenn man sagt, was überhaupt hätte geleistet werden können, und keine unbilligere Art zu urtheilen, als wenn man mit einer hochmuthigen Miene frägt, ob es ein anderer nicht vielleicht besser gemacht hätte.

Meiners,
Revision der Philosophie.

E n c e p h a l i t i s.

Encephalitis seu inflamatio cerebri. Morbus hic iam antiquissimis Scriptoribus notus, nonnisi recentioribus temporibus postquam Anatomia et Physiologia perfectius excoli coeperunt, clarior eius notio invaluit. Morbus hic ab antiquissimis Scriptoribus vocatur **Phrenesis**, **Phrenitis**, quia symptoma illius frequens est delirium furiosum, Febri valida inactum; quia tamen observationes plures docuerunt, delirium non raro occurrere validum, quin inflammationis signum ullum in cerebro detegi possit, et quia in eadaveribus non raro vestigia inflammationis encephali praegressae, conspicua observata sunt, quin delirium ullum aegro vivente locum habuisse, ideo denominatio antiqua derelicta est, et ab omnibus Scriptoribus morbus inflamatorius cerebri vocatur: Encephalitis v. Cephalitis.

Inquisitiones Anatomico-Pathologicae scrupulosae institutae docent, sedem inflammationis non esse semper ad unam partem restrictam, sed iam occupare meninges, inter has rarissime duram matrem, frequentissime piam matrem ac arachnoideam; v. occupare substantiam Cerebri et quidem Corticalem v. Medullarem, ita ut distinctio Encephalitidis in: Meningitidem, Arachnitidem, Cerebralem, fundamento innixa sit, neque dubi-

tamus pro diversa sede inflammationis , diversa etiam Symptomata debere adesse, sed hucusque Observatores haud consentiunt in signis diagnosticis diversarum harum Encephalitidum. Cl. Boerhaave docuit in inflammatione meningum adesse dolores intensissimos cum delirio ; in inflammatione substantiae medullaris adesse convulsiones. Cl. Martinette docet in iuflamatione durae matris adesse cephalalgiam violentam , cui mox , horripillatione praegressa adiungit se paralysis , et quidem unius tantum lateris , successive increscens ; in Arachnide Cerebrali , quae partem convexam Cerebri obserdet , docet adesse Cephalalgiam , quae cito increscit , cum calore capitis , cum vomitu spontaneo , Febri , tardius subsequi delirium , et tandem paralysim , convulsionibus tamen plurimum prius praegressis ; ubi arachnoidea cum Pia Meninge , basim Cerebri obvestiens inflatur , docet adesse cephalalgiam frontalem ac temporalem , Febrim , tristitiam , vomitum spontaneum , somnolentiam sine delirio , quibus subsequitur Status paralyticus ; in Encephalite Cerebrali adesse gravitatem capitis , mox accedere convulsiones , atque fuitatem . Cl. Abercromby docet e contra , inflammationem durae matris inchoare in genere cum dolore auris , qui subinde cum effluxu liquidi coniunctus est , mox accedit languor , somnolentia , delirium mite ; inflatione vero Arachnoidea ac Piae Matris , incipit cum Cephalalgia , vomitu , statim sequuntur convulsiones vehementes , dein status soporosus , alternans cum convolutionibus ; in inflammatione cerebri , docet semper adesse Cephalalgiam et delirium , praeter hoc iam soporem , iam convulsiones .

Diagnosis de diversa sede Encephalitidis redditur eo difficilior , quod inflamatio sub exordio ad unam

partem restricta, saepe initio sit mitior, mox vero et eo citius, quo intensor est, extenditur, in alias partes, ita ut inflamatio meningea cum illa cerebrali frequen-
tissime coniungatur, atque tunc symptomata Encephalitidis sunt diversa, pro diversa constitutione individua-
lis aegri, pro diversitate causarum praegressarum,
pro diversitate intensitatis, et complicationis morbi
non raro evolutionem Encephalitidis praecedunt symp-
tomata.

Prodrōma.

Caput plus minus dolet, saepe tantum gravius sentitur, magis calet, facies magis rubicunda evadit, subinde aures dolent, v. visus evadit difficilior, saepe somnolentia observatur, saepe pervigilium, aut somnus inquietus terreficis somniis turbatus, non raro animus mutatur; subinde hilaritas inconsuetra obser-
vatur, hinc antea moroso nunc omnia apparent ridicula, frequentius observatur pronitas maior in iram, disposi-
tio singularis in rixas, audacia, temeritas maior, non raro in exercitio functionum intellectualium impedimen-
tum se manifestat. Haec prodroma producuntur potis-
simum per congestionem sanguinis maiorem in Ence-
phalon et saepe disparent causis remotis, quin morbus
gravis errumpat, quod ni fiat post paucos dies v. septi-
manas Encephalitidis symptomata comparent, subinde sine prodromis post actionem causae excitantis vio-
lentiae subito Encephalitis evolvitur.

Aeger persentit horripilationem, frigus validum,
vix diu durans, quod calore excipitur, qui iam est con-
tinuus, et constituit symptomata Febris validae conti-

nuae continentis, non raro remittentis, cum pulsu arteriarum saepe frequenti duro ac pleno, hoc observatur, dum inflamatio meningea est, dum enim inflamatio substantiam Cerebri comprehendit, pulsus irregularis est, per momenta frequens, dein iterum rarius, subinde magnus, sed mox iterum parvus contractus, ritmo et diametro inaequalis, non raro pulsationem arteriarum et minimarum persentit aeger in toto corpore, in primis sentit hanc pulsationem in carotide, art. Vertebrarium, temporalium, in ipso Cerebro pulsus carotidum ac arteriarum temporalium conspicuus etiam est, comparet eodem tempore sitis intensa, lingua sicca, anorexia, alvus obstipa, urina parca, ut plurimum flamma, cutis quoque ut plurimum sicca, intense calida, magis rubicunda in primis in facie, caput grave est, dolet iam obtuse, iam intensissime, qui dolor initio ut plurimum partialis frequentissime in regione ossium, bregmatis ac occipitis, subinde tamen incipit in aure fronte, mox extenditur per caput universum, dolori huic iunguntur illusiones sensuum externorum, auditus subinde obtusus, longe frequentius valde acutus ita strepitus minimus dolorem excitat, saepe per sanguinem velocius circulante excitatur in auri titinus, susurus mollescens, visus vero obfuscatus frequentissime valde acutus, ita ut lucem haud ferant, ideo apud multos aegros palpebrae clausae reperiuntur, pupilla ut plurimum contracta est, sub exordio morbi, et incremento illius tardius dein ubi paralysis symptomata comparent, pupilla est morbose dilatata, saepe coniunctiva oculorum est sanguine suffosa, nasus ut plurimum exciscatus, nonnunquam cum pruritu mollesto aut sternutatione frequenti coniuncta, his symptomatibus iam citius, iam tardius iunguntur perturbationes facultatum intellectualium: deliria.

Delirium in plurimis casibus Encephalitidis est violentum, in casibus rarissimis est illud iucundum, ut aeger phantasias habeat sibi gratas, risum semper moventes, longe frequentius delirium furiosum est, cum ira vehementi iunctum, aeger diu noctuque vociferat, blasphemat, omnia destruere conatur, alias laedere, vulnerare nititur, sibimet non raro violentas manus infert, aufugit, per fenestram se praecipitat, in aquam insilit, tempore hoc delirii robur muscularum habet nimium tanrinum, ita ut a pluribus etiam difficulter coërceri possit, vincula dislacerat, dum delirium ita intensum est, nullum sensum decoris habent, ipse sensus Cenesthesia obtunditur, non sentit stimulum famis v. sitis, non frigus externum, ita ut tempore etiam frigidissimo corpus denudet, non sentit necessitatem alvum urinamque evanescendi, sed insecus illam evacuat; nec tamen in omni Encephalitide ita furiosum est delirium, dantur casus, in quibus statim ad exordium morbi functiones intellectuales compressae sunt, sensus externi sunt obtusi, aeger facet instar trunci, ut plurimum soporosus, dum excitatur musitatis, mite delirat, ad interrogata incongrue respondet, mox obdormit, respiratio saepe est difficilis, anxia, stertuosa; saepe inquietudo est magna, saepe sub exordio, saepe sub ulteriori morbi decursu observantur convulsiones, subinde tantum in musculis faciei, in primis labii oris, sed non raro convulsiones universales adsunt, subinde Tetanus, observantur serius paralyses, non raro sub exordio morbi adest vomitus, quin signa saburrhae, aut gastritidis adessent, sed per solum consensum hic vomitus sustentatur.

Ex symptomatibus omnibus collectis summa cum probabilitate cognoscimus praesentem Encephalitidem,

ad naturam illius tamen exacte determinandam, debemus et momenta illius pathogenetica eruere.

A e t i o l o g i a.

Aliquā homines peculiarem habent dispositionem in Encephalitidem, haereditate a parentibus acquisitam v. in utero evolutam, v. tardius generatam, ita homines, qui habitu corporis apoplectico gaudent, qui potibus spirituosis abutuntur, qui animi affectibus vehementibus exagitantur, illi facilis in hunc morbum incidunt. Causae illius excitantes plures ab Observatoribus adnotatae sunt, et quidem, non raro excitatur Encephalitis per violentias mechanicas, capiti illatas, ita infantibus neonatis, iam tempore partus, per violentam compressionem capitidis sub partu difficiili, v. per forcipis aut vectis adlicationem inductam; subinde enceph. excitatur primo altero die post partum, infantes soporosae iacent, convelluntur et extinguntur; et in aetate puerili, adolescentiae frequenter violentiae mechanicae caput ferunt, verberantur, cadunt, et aetate seniori caput contunditur, vulneratur, nec tantum integumenta communia separantur, sed et ossa Cranii franguntur, meninges et ipsum Cerebrum laeditur; saepe quidem inflammationis signa non illico comparent, sed aeger per unam alteramve septimanam sentit caput obtusum, quin Febris v. aliae sensuum perturbationes adessent, serius tamen aeger fit languidior, appetitus cibi prosternitur, vomitionem, vomitum ipsū experitur, emaciatur, caput incipit intensius dolere, qui semper magis incrementat, nunc accedunt deliria, spasti, subinde paralyses et iam de natura morbi nullum dubium est, vocatur talis Encephalitis: Traumatica.


Excitatur Encephalitis non raro per calorem externum excessivum, ita per ardorem solis, in regionibus tropicis frequens est Encephalitis, talis observatur etiam apud nos Aestate nimis fervida, in primis in mesoribus, vinearum cultoribus, non raro etiam in militibus, si tempore aestuante cogantur sua itinera facere, in primis olim dum caput galea metallica obtectum habuerunt. Enceph. acutissima per hanc causam excitata fuit, vocatur Ictus solis s. Insolatio, sed et calor artificialis excessivus eundem morbum producit; non raro per refrigerium hic morbus productus est.

Patus spirituosi excessive sumti producunt ad initium solum congestiones ad caput, seu oritur inebriatio, quae per quietem disparet, sed in praedispositis, aut ubi actio nocens protracte agit, oritur nominatus morbus, in primis hoc observatur ab usn excessivo cremati in Anglia, in Germania Septentrionali, in America, et vocatur nomine proprio: Delirium Tremens, a Cl. I. Frank Encephalitis tremens, a Cl. Hufelandio Insania Potatorum, apud nos hic morbus rarissimus est, cognoscitur ex tremore artuum, delirio, quod febri iam mitiori, iam intensiori iunctum est, delirium iam minus, iam magis furiosum est, putant aegri se esse circumdatos animalibus feris, cattis, leonibus, serpentinibus, v. animalia illos prosequuntur, ideo in continuo motu sunt, donec defatigati cadunt, item per venena in primis Narcotica uti: Belladona, opio, idem excitatur morbus. Excitatur Enceph. p. motum corporis vehementem, per animi affectum, in primis per iram; excitatur subinde sympathice per inflammationes aliarum partium, ita: per ophthalmitidem, otitidem; symptomatice per alios morbos ipsum Encephalon adgredientes, uti: Typhus Contag. Europ. Pestis Orient. Febris Flava, Am. Va-

riolae, Scarlatinae non raro Symptoma est Encephalitis, Syphilis pro Symptoma habet Enceph. si ossa cranii exulcerantur; metastatice, dum profluvia habitualia supprimuntur, dum alii morbi non resoluti disparent, uti sunt morbi cutanei acutæ aut chronicæ, non raro Rheumatismus, Peripneumonia, Gastritis, aut Gastroenteritis non resoluta producit Enceph. Differt hic morbus adhuc pro diversa constitutione individualis aegri, pro diversa complicatione cum aliis morbis.

P r o g n o s i s.

Encephalitis est in pluribus casibus morbus acutus, saepe acutissimus, ut spatio 24 horarum iam absolvatur, non raro per plures dies excurrit, imo per septimanam; dantur etiam inflamationes chronicæ Cerebri. Cuiuscunque sit durationis, triplicem nanciscitur exitum v. enim abit in sanitatem, v. in morbum alium, v. in mortem.



Per solam Autocratiam naturae, saepius adhuc per Therapiam rationalem sanitas adducitur, hunc exitum felicem expectamus, dum Enceph. est incipiens, gravissimis symptomatibus non stipata, simplex, non complicata cum Cachexiis, aut aliis morbis gravioribus, prognosis tamen et sub circumstantiis maxime faventibus ambigua est, quia sub symptomatibus etiam minus gravibus, contingunt exitus inflamationis incurabiles. Dum resolutio contingit felix, tunc saepe critice evanescunt observantur, ut: Epistaxis, aut alia haemorrhagia, praecipue si illa fuerit suppressa; non raro observamus sudorem, urinam sedimento largo puriformi albo, aut lateritio v. sanguine mixtum ut Criticus; subinde alvus mollior frequentior, v. Erysipelas in cute aut furunculi, parotitides Critici fuere.

In Enceph. intensa, v. neglecta aut cum morbis cacheticis complicata, ob exitus funesti prognosis infasta est, non raro materia puriformis, v. sanguis ex aure effluens crisim constituit. Exitus funesti sunt: Gangrena, sphacelus Cerebri in primis in Enceph. Traumatica, cognoscitur hic exitus, ex debilitate nimia musculari, pulsu parvo, tenui, filiformi, statu fere soporoso, sudore frigido in fronte, collo, ac extremitatibus, respiratione stertuosa, conscientia nulla, vox delecta, tendinum subsultu, floorum captatione, quibus subsequitur mors.

Sphacelus cerebri optime cognoscitur in cadavere. Hic exitus est tamen rarer, contingit tantum tunc ubi substantia cerebri est inflamata, antequam tamen hic exitus contingit, aeger apoplectice moritur. Contingit non raro secretio morbosa seri, in primis in Arachnitide frequentissime apud infantem, unde hydrops cerebri oritur, cognoscimus hunc statum cum probabilitate, quod dolor prius intensus capit, evadat initior, et mutatur in dolorem praementem, symptomata febris remittunt, imo disparent, ita ut pulsus evadat tardior, aeger fere continuus iacet soporosus, caput elevare, elevatum sustentare non valet, elevato capite persentit dolorem maiorem, anxietatem, inquietudinem, aeger convellitur, sensus obfuscantur, paralyses subsequuntur, ac tandem mors, subinde sanguis morbose excernitur.

Inflammatio non resoluta transit saepe in suppurationem, et quidem in meningitide non raro conspicuus fit materia puriformis in superficie meningum, non raro inter Arachnoidem et Piam matrem est substantia alba, lactea, nonnunquam in ventriculis Cerebri materia flavescens, virescens conspicitur, in basi Cranii

saepe vomicae parvae, abscessus v. in superficie, v. in substantia Cerebri adsunt. Exitum hunc in suppurationem cognoscimus, quod dolor praegressus acutus, ardens remittat, sed fit obtusus, Febris Symptomata non cessant. Febris evadit hectica, depascens, et ut quotidie circa vesperam et meridiem experiatur horripilationem in Cranio incipientem et dein per reliquum corpus excurrentem, hanc excipit calor in volis manuum et plantis pedum, corpus emaciatur, atque symptomata paralyseos, convulsiones accedunt et aeger extinguitur. Nec tamen sub omni suppuratione hic exitus funestus cito sequitur, sed vomica parva una v. altera per menses plures portatur, pus sacco inclusum non absorbetur, hinc Febris phoenomena silent, ita ut subinde aeger apparenter sanus et bene nutritus sit, nonnisi de capitibus dolore obtuso, de vertigine conqueritur, vomica dein subito rumpitur atque tunc gravissima symptomata comparent a cerebro compresso ac irritato, et non raro inter convulsiones aeger extinguitur. Observatores tamen adnotant casus, ubi pus fuit per aures, nasum, orbitam evacuatum et sanitas subsequatur, dum talis abscessus intra meninges efformatur tunc pure in inchorem mutato et ossa Cranii inflamantur, exulcerantur, cariosa redduntur, atque tunc aeger saepe doloribus dirissimis per menses complures affligitur subinde durante inflammatione secretio contingit morbosa fibrinae, et generantur pseudo membranae, quarum ope Dura Meninx cum ossibus crani, meninges inter se morbose concrecent; subinde organisatio redditur abnormis, ita generantur in Cerebro tumores abnormes, hydatides in plexu choroideo; subinde tubercula ut in pulmonibus et quidem tubercula iam minima, iam maiora; in dura matre subinde generantur fungus, cariem inducent ossium; subinde detectae sunt ossificationes

inter meninges in ipsa substantia cerebri; non raro tumores Scirrhosi, Carcinomatosi deprehensi sunt; subinde in sinibus durae matris signa inflammationis praegressae pus repertum est.

Praeter haec vitia organica per inflammationem inducta, in vivo tantum cum aliquali probabilitate cognita, melius cognoscimus in cadavere, concludimus tamen in statu vivo ad exitum infelicem, quod post inflammationem remanserunt dolores, vertigines, sensuum extero-rum variae perturbationes, paralyses, spasmi, qui status morbos ab alia causa repeti non possunt, speciem tamen vitii definire non valemus, subinde per inflammationem praegressam substantia cerebri evadit durior, non raro morbose mollior. Diagnosis emollitionis huius encephali est difficultis, in plurimis longiori tempore praecedit memoriae labefactatio, debilitas muscularis, ita ut motum aegri abhorreant, accedunt dein sensuum obfuscationes, somnolentia, tremores, paralyses, frequentissime haec emollitio cerebri in sensibus efformata fuit, non raro tamen et in iunioribus, in ipsis infantibus, atque frequentissime inflammationis praegressae effectus sunt, atque morte utplurimum terminatur.

T h e r a p i a.

Indicatio 1-a desumitur a causis excitantibus, et in Encephalite Traumatica, si forte ossa cranii laesa, depressa, fracta essent, statim congruum auxilium chirurgicum ferendum est, ut pressio, irritatio sufferatur non raro hunc in finem trepanatio necessaria, ut etiam extravasatum infra cranium haerens evacuari possit ubi Encephalitis producitur per excessum potus spirituosi,

tunc horum usus restringendus, ubi causa Encephalitidis est psychica, studio nimis intensa, animi affectus vehementes, tunc haec mitiganda sunt, ubi Enceph. est symptoma alterius morbi ut Typhi contagiosi, scarlatinae, Syphilidis, tunc horum cura recta suscipienda est; ubi Enceph. excitatur metastatice, profluvio habituali suppresso, v. morbo alio in primis cutis evanido, tunc restitutio profluvi habitualis, irritatio cutis indicatae sunt.

Rarissime per indicationem primam causalem scopum nostrum attingimus. Saepe causa Enceph. illico removeri non potest, ut in scarlatina, Typho contagioso, saepe causa iam amplius praesens non est, atque in his casibus, indicationem formamus curae radicalem, scilicet ut processum inflamatorium sive in meningibus, sive in substantia cerebri evolutum citissime sufferamus, hunc in finem ante omnia removemus causas omnes, quae congestionem in Encephalon producere et sic processum inflamatorium intendere valent, vestimenta arte corpus constringentia in primis colaria solvimus, aegrum in situm talem collocamus, ut caput illius magis erectum sit, temperaturam externam procuramus illi frigidusculam, quidquid sensus externos magis irritare posset, arcemus, ita odoramenta, lucem nimiam, propterea in urbibus lapide stratis stramen adhibetur, arcemus omnes potus spirituosos, cibos aromaticos, non nisi concedimus diaetam tenuissimam, pro potu solam aquam, v. decoctum emolliens, v. Emulsionem amygdalarum dulcium tenuem, amovemus omnia obiecta, quae animum excitare in primis iram, possent, aer debet esse purus, aegrum tempore etiam delirii summa cum mansuetudine tractamus, nec tamen illum solitarie relinquimus, sed vigiles sufficientes collocamus, aut si id fieri

non potest, aegrum ad lectum ita ligamus, ne dolorem ipsi excitemus, aut sanguinis circulum impediamus. Haec tamen sola vix sufficient, nisi simul efficaciora artis auxilia provocata fuerint, inter haec est 1-o Frigoris applicatio. Aqua frigida crano aplicitur, linteamina omni 10-o minuto renovantur, capilli densi prius abraduntur (in sexu sequiori nisi in maxima necessitate fit), saepe nives aut glaciem vesicae impositam capiti aplicamus, in morbo graviori caput aqua frigida perfundimus, optime conductit haec applicatio frigoris in Enceph. Traumatica. Cl. Schmucker Aquae frigidae solvit, salem ammoniacum, salem communem addito aceto. Cl. Küri contra Enceph. in Typho Contagioso aut Scarlatica valde commendat aquam frigidam externe aplicitam, per frigus enim calor morbose auctus minuitur, processus ipse daynamicco-organicus in sanguine evolutus suffert, nec tamen in morbo gravi remedium hoc solum sufficit.

2-o Remedium Antiphlogisticum efficacissimum est sanguinis evacuatio, haec si recto tempore iusta quantitate suscipiatur et Enceph. acutas et chronicas felicissime sanat non raro sola, hoc scopo commendant, incisionem venae iugularis aut arteriae temporalis, de effectu maiori non dubitamus, sed magnis stipatur difficultibus, hinc in plurimis casibus, nisi necessitas expostulat, ut in pede venam inscindamus, ubi nempe Enceph. ab haemorrhoidibus, menstruis aut aliis haemorrhagiis uteri suppressis ortum ducat, venam in brachio inscindimus, et quidem emittimus sanguinem ratione constitutionis individui dosim variam, semper tamen sufficientem quantitatem, in aegris tenerioribus, inflamatione non tam intense existente, vi illius ope Phlebotomiae iam fracta, sanguinis evacuationem topicalam

curamus v. per curcurbitas v. per hirudines vario numero aplicitas non raro bina remedia laudata iam sufficient, sed non semper, tunc requiruntur et alia Antiphlogistica remedia, uti : Decoctum Hordei, Emulsiones cum Nitro, purgantia philogistica mitiora ut Pulpa Tamarindorum, Arc. duplicatum. Crem. Tartari, Sal amarus, Glauberi Cl. Hildenbrand comedat Tart. Emeticum plena dosi partim saburam si adesset evacuando, partim Antagonistica sua virtute cerebri functionem deprimere. Scopo antiphlogistico maxime commendator *Calomel* dosi quidquam maiori. His remediis cedit non-nunquam Encephalitis, sed adsunt Capitis gravitas, calor cutis siccus, Febris mitior in hoc casu *Balsenum tepidum*, aut *Semicuprum* ex aqua simplici, v. addito decoctum iurfurum v. florum Malvae v. lac tepidum, indicatur, in primis si Enceph. post refrigerium admissum, v. post Rheumatismum, v. Morbum cutis evanidum ortum est, hoc scopo et Epispastica ut: *Synapismus*, *Vericans* v. *Unguentum Autenriethii* bene conduceit, quae tamen remedia, non nisi post fractam inflammationem applicari debent; subinde nec post remedia hucusque laudata omnium cautela adhibita morbus infringitur, delirium, inquietudo, convulsiones continuant, indicatio pro sanguinis evacuatione nulla amplius adest, in tali casu observatio felix docuit *Opium* esse remedium eximum in specie in Delirio Tremente post sanguinis evacuationem iustam praemissam opium est praestantissimum remedium, et quidem dosi maiori exhibitum, eousque donec somnus paccatus subsequitur et non raro aeger sudore largo subsecuto in somno sine delirio excitatur, nonnulli addunt *Calomel*, alii *Camphoram*; non raro evolvuntur symptomata Febris Nervosae aut putridae cum debilitate vera atque tunc remedia Antinervosa et Antiputrida indicantur, ut *Acida*

mineralia, C. Chinæ; R. Arnicae Valerianæ, Camphora, Amonia, Moschus, haec tamen remedia cauta manu sunt adhibenda. Ubi debilitatis symptomata evolvuntur, secundum observationes etiam recentissimas praestantissimum remedium cardiacum possidemus in vino; insuper remedia antagonistica indicantur.

Non in omni casu valeamus attingere scopum curae nostræ. Accidit ut aeger Encephalitide affectus non obstante conatu nostro omni appoplectice inter convulsiones extinguatur, non raro inter symptomata Gangrenæ, quibus evolutis adhibemus quidem remedia stimulantia roborantia antiseptica, sed rarissime aegrum salvare valemus; non raro accidit, ut vita aegri conservetur, sed sanitas integra non statim revertitur. Debilitas corporis est magna, emaciatio magna, capilli desfluunt, sensus externi sunt obtusi, memoria tabefactata, judicium puerile, subinde paralyses, convulsiones adsunt, histatus morbos post Encephalitidem residui diversam Prognosim habent, diversam therapiam requirunt, subinde adhuc status inflamatorius licet mitior in longius tempus excurrit, et tunc sub decremente morbi methodus Antiphologistica mitior continuari debet, non raro tamen omnia phaenomena in aegro praesentia effectus stimulorum applicitorum nos convincunt debilitatem veram adesse per ipsum morbum praegressum et per Therapiam inductam, atque tuęc methodus roborans, cum cautela adhibenda est, aer purus siccus, diaeta magis roborans, vinum parca roborantia, martialia, C. Chinæ, balnea martialia, per talem methodum caute adhibitam magnæ perturbationes etiam systematis Nervosi feliciter sufferuntur, non tamen semper, quia non raro per inflammationem praegressam, vitia organica inducta sunt, subinde secretio morbosa seri, quam non

raro usu Digitalis purp. ac calomelis iterum susserrimus, sed saepe vitia organica sunt graviora, vomica, sanguis coagulatus, tubercula, excrecentiae variae, emollitio, induratio maioris partis Encephali, quae vitia organica *in vivo* homine necquidem cum probabilitate definiere valeamus, ideo in casu tali dubio tentamina inanina, periculosa nulla instituemus, sed in defectu indicationis curae radicalis tantum conamur statum organismi totius normalem reddere, ut energia vitalis sit moderata, ut s - et excretiones rite perficiantur; non raro accidit, ut tempore per ipsam Auctoratiam naturae morbosa phaenomena dispareant, partim quod vitium illud organicum dispareat, partim quod natura non raro vitio organico etiam in cerebro existente asvesiat.



Theses defendendae.

1. Dolores Rheumatiei, Arthritici, et Syphilitici non semper ab invicem cognosci possunt.
2. Systema nervosum omnibus praestet functionibus, hinc:
3. Plurimorum morborum, praecipue endemicum et epidemicorum causa, constituit passionem huius systematis.
4. Omnis vita in natura est relativa, uti ipsa sanitas hominis.
5. Encephalitidis symptomata in plurimis casibus cognosci possunt, nec tamen eius sedes.
6. Educatio in genere bona multum felicitatem populi determinat.
7. Nullum remedium, nisi plasticum teneat principium, nutrit.

8. Metallorum affinitas ad oxygenium determinat eius nobilitatem.
9. Metallorum plurimorum actio est destruens.
10. Capsulae lentis obfuscatio, saepe causam cataractae posthumae constituit.
11. Homoeopathia, quatenus constanter uni remedio insistit, simplicitati studet, remediis specificis inveniendis operam natvat; laudanda est.
12. Homoeopathica dosis medicamentorum non nocet quidem, sed nec prodesse videtur.
13. Bubones Syphilitici Ideopathici, etsi raro, occurrunt tamen.

